

§. VI. Conversusque ad populum in medio Altaris, dicit clara voce: *Ecce Agnus Dei, etc.*

Ista conversio sit in medio Altaris, etiamsi in medio Altaris remansisset alia Pyxis cum particulis, vel Hostia consecrata; deformis enim esset actus reverentialis Sacramento in Tabernaculo incluso, cum idem Sacramentum sit intra manus Sacerdotis: *Agnus Dei, etc.* est ex Evang. Jo. c. 1.

§. VII. Mox subdit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed, etc.

53 Sumpta est haec formula ex Evangelio, *Matth. 8. Gavant. dict. p. 2. t. 10.* reprobatur usum illarum Monialium, quae dicunt, tacente Sacerdote: *Domine, non sum digna, etc.* In hac enim mutatione duo errores contingunt: alter, quod a Sacerdote non dicitur, et ipse est qui ex ritu recitare debet illa verba: alter, quod mutantur verba a Centurione accepta, et a Rubrica non mutata contra Bullas Pii, et Pauli V. qui prohibent mutationem in Missali, et Rituali Romano; in quo expresse dici jubetur, *Domine, non sum dignus, etc.*

§. VIII. Quod iterum, ac tertio repetit: qua formula etiam utendum est, cum foeminae communicatio ministratur.

54 Repetitio hujus formulae per tres vices est ad magis magisque humilitatem nostram demonstrandam; atque protestationem humanae indignitatis. Ternarius numerus enim communiter accipitur per Doctores pro perfectissimo, de non mutanda hac formula pro Foeminis diximus in antecedenti §. modo addam: ideo non mutari debere, quia Genus Hominis per *Hic, et Haec* declinatur: diciturque *Hic, et haec Homo.* Cum igitur Foeminae etiam sint Homines, bene stat si pro illis dicitur *dignus, non digna.*

§. IX. Postea ad communicandum accedit, incipiens ab iis qui sunt ad partem Epistolae.

55 56 Semper tenet digitis Sacerdos illam primam particulam, quam elevavit, non tenetur tamen illam primo ministrare, sed convenienter eam mutare potest: ob enim nimium longum tactum, digitis sudore madidis adhaerere solet. Incipit ad partem Epistolae multis de causis, sed praecipua, et magis rationi consona est, quia ista pars administrandum est commodior: cum enim sinistra manu Pyxidem teneat, remanet dexterum latus apertum, et spatiosum ad ministrationem, nec sibi Minister impedit accessum, et visionem ad illos, qui in circulo stant parati, communicare: si a dextera parte inciperet, deberet distantem tenere a pectore proprio Pyxidem, ut commodius ministraret.

§. X. Sed primo si Sacerdotibus, vel aliis ex Clero danda sit Communicatio, iis ad gradus Altaris genuflexis praebetur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum Altaris sint a Laicis distincti.

57 58 59 Cum vetitum sit per Concilium Romanum, l. 28. cap. 4. Laicis tempore Divinorum Officiorum, inter Presbyterium, et Altarium septa ingredi, ibique morari sub poena Interdicti Romano Pontifici reservata, quod usque ab annis 1688. et 1690. per S. R. C. prohibitum fuerat juxta Sacrorum Canonum intensionem, et praesertim *Can. pervenit, et Can. Sacerdotum, de cons. dist. 2. cap. ut laici, de vit. et honest. cler. cap. inhibendum de cohabit. cleric. et mulier.* Ideo hic locus est, ut Sacerdotibus, et aliis de Clero detur accessus, quibus unice permissum est ingredi Presbyterium, et ibi permanere. Ultra quam quod ratione dignitatis, praeferendi sunt cunctis Laicis ibi adstantibus, ut ostendatur honos Cleri a Laicis distinctus, et ut Clerus inserviat liberius divinis, Carol. Novar. Episc. allegat. a Gavant. d. l. Ubi advertendum est, quod Presbyterium idem est ac Chorus, et unum pro alio promiscue accipitur, Frances de *Ecl. Cath. cap. 5. num. 182.* et alii apud Ursaya *T. 1. p. 2. disp. 16. n. 8.*

60 61 Verum tradunt nonnulli, inter quos Gavant. Consett. et alii, primum communicandos esse Magistratus majores, ubi sunt Tribunalia cum mero, et mixto imperio, et deinde reliquos de Clero. Primo Praelatos si adsint cum suo habitu praelatio, deinde Sacerdotes juxta eorum gradus, et postmodum Clericos: Sed hoc videtur, quod praescribatur tantummodo tempore Pashali, et Feria 5. in Coena Domini pro communione generali, inter Missarum solemnias facienda.

62 Permittitur itaque quod isti stent ad gradus Altaris, et

intra sepimentum, seu clausulam: Sed semper cum distinctione, inter Laicos, et Clericos, ea de causa, quam supra allegavimus, nempe ut ostendatur honos Cleri a Laicis distinctus.

§. XI. Sacerdotes vero cum Stola communicent.

63 64 Ob signum dignitatis praecipitur, ut Sacerdotes extra Missam, cum Stola de collo pendente communicent, *ex Conc. Bracar. 3 can. 3.* Corsettus addit, et quidem rationaliter, quod Sacerdotes habere debeant superpelliceum, et Stolam in modum Crucis, Clericatus subtilissime tractat quaestionem: An Sacerdos communicandus extra Missam debeat Stolam ad collum appensam habere *decis. 30. Eucharist. Sacram.* Et allegatis, discussisque hinc inde Canonum, et Doctorum rationibus, ponit Conclusionem *num. 34.* Teneri Sacerdotem Stolam induere, alias peccare, nisi grave incommodum, vel totalis oblivio, aut Stolae deficientiae talem omissionem excuset. Cujus Stolae Color judico, quod albus esse debeat, ut conformetur colori praescripto in ministracione Eucharistiae.

§. XII. Sacerdos unicuique porrigens Sacramentum, et faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem simul dicit: *Corpus Domini nostri, etc.*

*Conc. Rhotomagen. can. 2.* apud Burcard. *l. 3. t. 76.* jussit, ut Eucharistia non nisi in os cujuscumque sumentis immitteretur a Sacerdote. Qui vero communicant, manus in Crucis formam componere debent. *Ex Synod. 6. in Trullo. can. 102.*

67 Signum Crucis, quod facit Sacerdos cum particula inter digitos stricta, non debet excedere labia Pyxidis, ne fragmenta, si qua sint, cadant extra eamdem. Fit hoc signum eo modo, quo supra signavit se ipsum Sacerdos. Insuper advertat, quod verba *Corpus Domini nostri, etc.* debent dici infra spatium signi Crucis, et porrectiones particulae, adeo ut immissa particula in os communicati finiatur quoque ipsa formula, nec sub pronuntiatione unius formulae communicent duae, vel tres personae. Formula ista est ex religiosa traditione, et habetur apud Joan. Dian *in vita Sancti Gregorii, et in Concil. Rothomagen.*

§. XIII. Ubi vero omnes communicaverint, Sacerdos reversus ad Altare, dicere poterit: *O Sacrum convivium, etc.*

68 Ita Antiphona quae a S. Thoma Aquinate Angelico Doctore composita est, praecipitur a Rubrica de consilio, non autem de praecepto, per illa verba, *dicere poterit*, quae obligationem indispensabilem non important. Ideo si quis eam omitteret, non peccaret.

§. XIV. Tempore Paschali additur *Alleluja*. Mox Sacerdos dicit. *Ÿ. Domine exaudi, etc.* Et clamor, etc. Dominus vobiscum, etc.

69 *Alleluja* Versiculus est laetitiae, et significat *Laudate Dominum*, S. Aug. *in Psal. 118.* Multa de hoc versiculo scribit Gavant. *d. p. 1. t. x. litt. q.* Non nisi tempore Paschali, et infra octavam Corporis Christi additur iste versiculus.

70 Quo vero ad *Dominus Vobiscum*, usque ad nostram aetatem in usu fuit; sed ejus recitatio in administratione Eucharistiae, et in ejus Benedictione, sublata fuit Decreto S. R. Congr. ut ex Instructione particulari ab Urbe emanata super hoc habuimus, quae habebitur in Titulo *de Processionibus*.

§. XV. Tempore Paschali dicitur Oratio, Spiritum nobis Domine, etc.

71 Sunt nonnullae Orationes in Divinis Officiis, quae non singulis anni temporibus conveniunt: ideo ab Ecclesia mutantur, cujusmodi est haec, quae de Sacramentis Paschalibus tractat: quandoquidem alia Oratio, quae per totum annum communiter recitatur, de memoria Passionis loquitur, ideoque ut concordet Oratio cum solemnitate, haec, loco antecedentis, subintrat.

§. XVI. Antequam reponat Sacramentum, diligenter advertat, ut si aliquod fragmentum digitis adhaeserit, illud in Pyxidem deponat; et eosdem digitos, quibus tetigit Sacramentum, abluat, et abstergat purificatorio: ablutionem

vero sumat, si celebraverit, aut iis, qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in Sacrarium injiciat.

Facile potest dari casus iste ob longam tractationem Sacramentorum Particularum: ideoque cum vel in minimo fragmento consecrato sit Corpus, et Sanguis Christi Domini, reponi debet in Pyxide cum aliis particulis.

73 Ablutio digitorum in hoc casu non praecipitur neque vino, neque aqua facienda, ut in Missa in qua nec abstemii debent sine vino purificare Calicem, Papa inconsulto ut ex Romana praxi docet Gavant, p. 2. tit. 10. litt. y. §. *Quid vero.*

74 In casu Communionis extra Missam, usus est purificandi in vase aqua pleno, ad hoc parato supra mensam Altaris cum suo Purificatorio. Quo vero ad ablutioem sumendam, id quod Rubrica praecipit, videtur grave, et incommodum, nempe ut sumatur a Sacerdote, si celebraverit, vel ab iis qui communicaverint; Certe usus contrarius est, cum facile haberi possit modus, illam ablutioem reponendi in Sacrarium, ut communiter ab omnibus fit, non quacumque vice occurrat ista purificatio, sed tunc, quando Aqua ibi parata non omnino munda videatur.

§. XVII. Postea genuflectens reponit Sacramentum in Tabernaculo, et clave obserat.

75 76 Cooperta Pyxide cum suo Operculo, et Conopaeo illam reponit, etiamsi particulis vacuum, sed non purificatam a fragmentis. Si vero id intra Missam fiat, purificatur a fragmentis, et ad Sacristiam deportanda traditur Clerico. Reposita Pyxide in Tabernaculo, genuflectit Sacerdos: est enim hic ultimus actus reverentialis, qui fit Sacramento, dum Tabernaculum est apertum. Clave item illud obserat, quod a Sacris Canonibus adeo inculcatur, ne a quocumque habeatur aditus ad Tabernaculum. Vide quae alibi diximus de clave, et ejus custodia.

§. XVIII. Deinde extenta manu dextera, benedicit iis qui communicarunt, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis. etc.*

77 Diversa est haec Benedictio quoad verba, ab illa, quam

dat Sacerdos in fine Missae. Trina est, a Trinitate, periodus Benedictionis. Elevatio denique manus habetur, *Ecclesiast.* 50. et Christo ascendente, *Luc. c. ult.* Gavant. d. p. 2. t. 12. l. a. Interim dum dextera elevatur, sinistra ad pectus tenetur, et indicat bonam intentionem benedicientis.

§. XIX. Communio autem populi intra Missam, statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, (nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda) cum Orationes, quae post Communionem in Missa dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

78 79 Regulariter loquendo, juxta Gavant. d. t. 10. litt. d. hoc loco facienda est communio, ut communicandi participes fiant Orationum earum, quae post Communionem dicuntur in Missa, ut notat Microlog. c. 19, *Ante has Orationes*, inquit, *communicare non negligent quicumque earum Orationum benedictione foveri desiderant.* In istis Orationibus comprehenduntur tam secretae, quam alta voce pronunciatæ. Inter secretas Orationes habetur: *Quod ore sumpsimus, etc.* quae cunctis communicantibus favet, et aliae nonnullae. Alta voce vero plurimae, et fere omnes, quae post Communionem leguntur de universali Communionem loquuntur. Sic v. gr. *Sumpsimus, Domine, etc. Mundet, et muniat, etc. Haec nos quaesumus Domine, etc. Quos Caelesti, etc. Quaesumus Domine, etc.* et alia permultae pro universali Ecclesia loquuntur, et pro iis omnibus, qui Sacram Communionem sumpsere.

80 Illa parenthesis, quae tempus Communionis ad sinem Missae trahit, est pro illis, quos taedet expectare alios, ut communicent, si multi sint, quod videtur tolerandum, non vero si sint pauci. Tridentinum enim Concilium in singulis Missis optat Astantium Communionem, *Navar. cap. 21. num. 52. Man.*

81 82 Igitur unica rationabilis causa differendi Communionem peracta Missa, est taedium expectantium: sed aliam ego invenio rationabiliorem, et est, si non adsint necessarii Ministri, nec sint omnia parata, quae ad distributionem Eucharistiae pertinent. Vide super hoc doctissimam decisionem Clericati, quae est 20, *in libro de Venerab. Sacramento.* Notat Gavantus in hoc loco, debere celebrantem, post sumptionem Sanguinis; calicem palla tegere, antequam alios communicet: et ego aliud subdo: nempe indecens esse, quod hoc loco subintret alter Sacerdos cum Cotta, et Stola, et distribuat Eucharistiam

interim vero Sacerdos perficiat suam Missam: sicuti inconueniens est ab hoc Altare transferre Pyxidem cum Particulis consecratis ad aliud Altare, et ibi populum communicare.

§. XX. Itaque Sacerdos, sumpto Sacratissimo Sanguine, antequam se purificet, ponat Particulas consecratis in Pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi in principio positae fuerint in Pyxide, et genuflectit, Ministro interim faciente confessionem, ut supra.

83 Si prudenter praevideat Sacerdos, quod plures sint communicandi, Pyxidem in Altari positam habere debet cum particulis consecratis: si vero pauci communicandi sint, potest particulas super patenam ponere, et cum patena communicare, Possevin. *de Off. Curat. cap. 8. n. 4. et 5. alleg. a Corsett. d. addit. ad Tract. 2. p. 2. sect. 2. num. 2. et 3.* Admonet, non tutissimum concilium esse, custodiam, seu Pyxidem multum replere particulis propter periculum, ne in eis tractandis labantur, et reprobatur Sacram praebere Communionem cum particulis sitis supra Patenam, quia potest dari, ut eas adeo vicinas exhibeat communicando, ut hic sola respiratione eas e patena dejicere possit: imo dantur nonnulli communicandi adeo devoti, sed imprudentes, qui dum eis praebetur Sacra Buccella, fortiter aspirando, e manibus, vel e Pyxide, seu Patena illam ejiciant.

Confessio per Ministrum facienda est per verba *Confiteor*, de quo alibi locuti sumus, §. 2.

§. XXI. Postea vertens se ad populum, in cornu Evangelii dicit: *Misereatur vestri*, etc, et eo quo supra dictum est modo, porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a Ministris Altaris, si velint communicare.

84 Omnia fiunt modo, quo diximus §. 3. hujus tituli. Si ministri Altaris velint communicare, incipiendum est a Diacono tamquam digniori, et deinde communicandus est Subdiaconus; deinceps Clerici, qui inserviunt sacrificio; habito inter illos respectu Ministerii. Hoc etiam fit quando Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris, supra gradum medium Altaris genuflectunt, et Acolythi hinc in deorsum extensum ante

communicandos genuflexi tenent, Corsett. *dict. Tr. 2. part. 2. cap. 4. sect. 2. num. 4.*

§. XXII. Finita communionem, revertitur ad Altare, nihil dicens, et non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missae.

85 86 Quaeri potest hic, an in Missa defunctorum, in qua non datur populo Benedictio, haec sit danda communicatis? Negative respondet Gavant, contra quosdam, qui loquuntur gratis *p. 2. t. 10. §. 6. litt. num.* Sed neque in his Missis defunctorum distribuenda esset Eucharistia, eodem modo, quo jejuniorum tempore apud antiquos Fideles non distribebatur, Albaspin. *d. lib. 1. abs. 14. ex Gavant. ibid.* Benedictio communicatorum in fine Missae est danda post applicationes, et supplicationes Orationum, quae recitantur ad *Postcommun.* Et in hoc loco magis fructuosa est ratiōe Orationum, et applicationum. De purificatione digitorum, a fragmentis, vel Pyxidibus, vel Patenae, vel Corporalis hoc loco facienda, vide quae diximus ad §. 16. hujus tituli.

§. XXIII. Deinde dicit secreto: Quod ore sumpsimus, etc. ut in Missali, se purificat, et Missam absoluit.

Haec spectant ad Rubricas Missalis: ideoque Gavantus adeundus est *loc. cit.*

§. XXIV. Quod si contingat, absoluta Missa, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc Planetam indutus, Sacram Communionem eo modo, quo supra dictum est, ministrabit.

Supponitur hic Sacerdotem celebrasse Missam ad Altare, in quo sit Tabernaculum, et in eo reposita Pyxis cum Particulis jam consecratis. In hoc casu se gerere debet Sacerdos eo modo, quo supra dictum est in ordine ministrandi Sacram Eucharistiam. Unice addo ex Rubrica, non debere Sacerdotem se expoliare Planetam, nec aliis vestibus ad Missam inservienti-

bus, ut superpelliceum, et Stolum sumat, tanquam vestes propriae ad talem functionem. Reputatur hic actus non continuus, sed contiguus Missae, ideoque durat adhuc eadem ratio deferendi planetam, et alias vestes adhibitas in Missa, Sarnell.  
*Commentar. de Ritu Missae.*

**DE**  
**COMMUNIONE PASCHALI,**

**TITULUS VICESIMUS QUINTUS.**

SUMMARIUM.

1. Constituto de Communionem Paschali.
2. S. Fabianus Papa constituit trinam Communionem annuam.
3. Communicare in anno semel est de praecepto Ecclesiae.
4. Parochi monere debent populum de hac obligatione.
5. Liber status Animarum habendus a Parocho.
6. Conficiendus tempore Quadragesimae.
7. Qui non communicant, invitandi ad Ecclesiam.
8. Possunt cogi a Parocho, et ab Ordinario.
9. Signum communicandorum in libro.
10. Quodnam sit tempus Paschale?
11. Tempus paschale ab Eugenio IV. assignatum.
12. Qui intra hoc tempus non communicaverint, poenas Eugenii incurrunt.
13. Mores diversi, et consuetudines circa hoc tempus.
14. Parochus potest rationabiliter prorogare hoc tempus.
15. Causae rationabiles hujus prorogationis.
16. Schedulae modus pro dignoscendis qui non communicaberint.
17. Schedulas dispensare et colligere spectat ad Parochum.
18. Communicantes in peccato mortali non satisfaciunt praecepto.
19. Delinquentes admonendi a Parocho non semel, sed pluries.
20. Post spretam admonitionem denunciandi sunt Ordinario.
21. Ad Ordinarium spectat citare.
22. Pascha celebratur die Dominico Resurrectionis.
23. Interpretative potest sumi pro antecedenti, et consequenti hebdomada.
24. Pastor tenetur cognoscere oves suas.
25. Ministratio Paschalis debet fieri per Parochum.
26. Impedimenta quae dispensant Parochum ab administratione.
27. Satis est si sit suffectus Capellanus Curatus.
28. Fideles alienae Parochiae remittendi sunt ad suam Parochiam.
29. Si Parochus communicet non sibi subditos, facta debita diligentia, non peccat.
30. Qui communicat in aliena Parochia, non satisfacit praecepto.
31. Parochi admoneant ab Altari ut alieni recedant.
32. Nisi Parochus libertatem illis relinquat.
33. Peregrini, et iter agentes an teneantur ad leges loci?
34. Vagi quinam sint?
35. Peregrini quinam sint?
36. Peregrini habent certum domicilium.